



**O**SUALDVS COMES A THIERSTEIN.

Sualdus ex illustri familia comitum à Thierstein natus, & in omnibus uirtutibus educatus fuit. Is cum prima literarum fundamenta fœliciter iecisset, postea animum ad armorum studia adiecit, & regum atq; principum castra sequendo sibi magnam autoritatem comparauit, idq; præser tim eo tempore, cum Carolus Burgundus ab Austria et confœderatis uinceretur. Deinde quoq; Anno 1475 præfectus Sundgouiae & Brisgaudiae à Cesare constitutus fuit. Eam prouinciam cum Osualdus suscepisset, atq; multa negotia passim exorirentur, ipse primus præfectorum suos cōsiliarios in Ensisheim residere iussit, & ibi certa domicilia ipsis constituit, cum prius tantum alibi habitantes tempore iudicij eò uocarentur. Hoc modo factum ut subditi in officio retinerentur, atq; iudices Osualdi uirtutes imitarentur. Itaq; contigit, ut Osualdus Maximiliano Cesari ob uirtutes esset gratissimus. Cum hoc modo in superiori Alsatia magna prudencia uersaretur, tandem ueneranda canitie conspicuus obiit, & à suis honorifice sepultus fuit. Monsterus libro tertio Cosmograph.